



IOANNES ex nobili familia à Slampstorff natus fuit. Is cum optimè educatus esset, atq; naturali quadam facundia & prudentia esset præditus, pri mo præpositus in Hadesleria atque Vursatia cre tus fuit, eam functionem summa laude obiuit, at que magnam sapientiæ & bonitatis famam apud omnes finitos contraxit. Itaque cum Otto Archiepiscopus Bremensis mortuus esset, uicinę urbes & nobilium proceres à Collegio Bremensi sé riò petiere, ut hic Ioannes præful designaretur. id quē partim ipsi, partim huius uiri uirtutes consecuti sunt. Quamprimum uero is Archiepiscopatum adminisstrandum suscepisset, uicinos undiq; diligentientes sua dexteritate sibi inuicem reconciliauit, atq; pacem in circumiacente regione confirmauit. Rarò enim dissidentibus interuenit, quos non pacaret. Erat insuper omnibus humanus & affabilis, ita ut omnes suos cognatos appellaret. hinc factum ut ad infimę sortis homines uocatus compareret, atque cum ijs cibum sumeret. Postea tamen cum urbe Bremensi atq; comiti bus de Aldenburck bellum agere coactus, egregiè uicit, atq; summa prud entia composuit. Vnde magnam nominis existimationem obtinuit, anno circiter 1420.